



Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen

RELATIO IX. De Mense Februario, Anni 1626.

1626

RELATIO IX.

De Mense Februario, Anni 1626.

Româ Circa 4 Februa, nihil aliud nunciatū fuit, nisi quod Papæ exercitus, 6000 peditibus, & 600 equitibus constans, in Velclinium iturus sit, habita prius illustratione Ferraria: & Cardinalem quendam Ludovissio Iesuitas 100000 Coronatis donasse, inq̄, honorem Ignatij, conditoris Iesuitarum, se templum exstructurum, promississe: tum Regem Hispaniarum, mutata regia sede, Aragonam concessisse.

Circa 20 Febr. Genuensis Legatus nova auxilia à Governatore Mediolanensi petivit. Galli autem Rivam occupaturi dicuntur per Pappenheimium depulsi: qui & duos Capitaneos suos capite multavit, quod proxima seditionis auctores fuissent.

Viennæ circa 18. Febr. Ludi Troici, in Regis stabulo instituti, morte sensoris Ducis Bavaria Maximiliani impediti fuerunt. Cæsaris tamen conjux cum à cœna ij, qui sunt de militari & equestri ordine, choreas solitas exorsi fuissent, habitu Helvetico, nullo ferè animadvertente irrupit, & accincta gladio magno, variegatisq̄ & dissectis tum calceis tum caligis induca, coram Majestate ipsius saltavit. Comes Alheimius cum egregio comitatu Comorram ivit, cum Bassa Budensi de pace porro tractaturus. Circa hoc tempus Cæsar Cancellarium suum; cui centum alios adjunxerat, omnes tunicis pectoralibus luteis bombycinis, ceu paludamentis, amictos; instructum magnis donis, inter quæ torques 4000 Uncialibus aestimatus, poculaq̄, coronaria aliquot fuerunt; unâ cum Bavrico quodam Legato in Transylvaniam ad nuptias Betblebemi Gabori misit: ut testaretur, se spreto omni rumore adverso tamen sibi optima de ipso polliceri.

G

Pra-

Pragenſis Chriſtianorum perfecutio adhuc flagrat: dum civibus denuò mandata Caſarea propoſita ſunt, ut aut abnegent religionem, aut alia exſpectent. Sed aliqui aperte oſtenderunt, ſe potius omnia ſua deſerturos, quàm hoc contra conſcientiam ſuam in ſe admiſſuros. Hinc magna calamitas. Sed & Linzj, ubi nihilo minus furor idem graſſatur, civium pars migrationem illinc ſibi concedi petiverunt, ſed nihil potuerunt impetrare. Multi conſtituerunt, aſſumptis uxoribus & liberis; ceteris, quæ cbara habuerunt, relictis; in exilium proficiſci.

Transactionem Regis Gallia cum Hugonottis conditionibus honeſtis inſitam, præſentibus Regina, Regis intimis Conſiliarjjs, & conjunctorum fœderatorumq; Regum & Magnatum Legatis concluſam, ab utraq; parte manu ſua confirmatam eſſe, quæ Pariſijs in Belgium ſub initium Martij miſſa venerunt, littera conteſtantur. Itaq; maximum gaudium fuiſſe ſubſecutum: naves militares præſidiariasq; ex portu Rupellano deductas: exercitumq; 6000. militum dimiſſum: conditionibusq; alijs certis alia fuiſſe peracta.

Regis Angliæ mandato inquitum fuit in præfectos claſſum, qui in cauſa eſſet, cur impreſſio in Gades ſucceſſu ſuo caruiſſet. Idem Rex præſidijs firmis munivit oras maritimas Scotia & Irlandia, idq; contra Hispanos. Rex enim Hispaniæ dicitur immaniorẽ claſſem, quàm quæ Anno 1588 fuit, in Anglum inſtruere. Anglus autem & Belga in Dunkyrbios piratas claſſem parant.

Roterodami eodem tempore Ficalis Ammiralitatjs ob malè adminiſtratam provinciam in vincula conjectus eſt. In eodemq; luto ſuſpicio eſt berere alios plurimos, qui milites nauticos ſuo ſtipendio defraudarint; unde factum ajunt, ut multorum transfugerint ad Hispanos, atq; ita Dunkyrbios in
Belgas.

*Belgas armarint. Quod valde exitiosum fuit Statibm. Qui nuper ex Persia venit Legatus; Amstereledami magnifice exceptus fuit. Instructus est, apud defunctum Principem Ura-
nia p. m. mandata sua exponere, siquidem tum in Persia, cum hic Legatus inde proficisceretur, de ejus morte nihil consuit. Ejus adventum sub idem initium Martij Haga comitum exspectarunt: cui obviam missus fuit Hollandicus Archibalassus de Nassovia.*

Coloniae Agrippinae ceperunt rursus colligi multa cohortes, plurimis ex opificum natione, quos inopia adegit, nomina sua profectis. Idem factum in Brabantia. Bruxellis vero solammitas magna in honorem imper in lucem edita Infantis Hispania celebrata fuit.

Circa Servestam, urbem Anbaldinorum, & Regis Daniae & wallenstenij miles volitavit hoc eodem tempore: Cumq; ibi aliquando 30. wallensteniani fuissent, pauci quoq; ex Regis Dania castris illuc commeassent, factum fuit, ut illi sibi proponerent Danos trucidare: quod Servestani noluerunt concedere.

Fridlandiorum vero aliquot milleni Burgum oppidum, ubi praesidium fuit Archiepiscopi Magdeburgensis, aggressi, magna vi illud oppugnarunt, tormentis, pyrobolis, alijsq; strategematibus illud totum triduum tentantes. Verum, cum nihil efficerent, & praeterea jacturam 300 militum fecissent, relicta obsidione Burgi, una cum ingenti prada, quam ex alijs vicis, pagis, & oppidis ejusdem Dioeceseos Magdeburgensis abegerant, recesserunt. Administrator autem in Pratorio suo, quod habet Sandovj, tum temporis commoratus est, conjuncturus secum Rege Daniae. Ex castris Fridlandicis multi metu profugerunt. In agro, qui ad Magdeburgam est, misere & crudeliter excarnificantur homines a wallenstienijs. Et nuper a Croatijs tres elegantes pagi Auslebium, Wanslebium &